

1303, *Marzo*.

Legno veneziano preso dai Genovesi nelle acque d' Ayazzo. — Rapporto di Simeone Avventurato al Doge Pietro Gradenigo.

Magnifico et excelso domino suo Domino P. Gradonico Dei gratia Venetiarum Dalmatie atque Croacie duci, domino quarte partis et dimidie tocius imperii Romanie, *Simeon Adventuratus* de vestro mandato baiulus Venetorum in Cipro se ipsum paratum ad omnia vestra bene placita et honores. — Vestre dominationi per presentes litteras facio manifestum quod euntibus istis Venetis et subditis vestris videlicet *Andrea Nadale* de Venetiis et *Thomaso Botterio* de Accon et *Dionisio Trevigiano* et *Costa de Suro* de Famagosta apud Ayacium in quondam ligno dictorum Andree et Tomasi et pervenientibus loco dicto Cavo de Garpasso, supervenit quedam Galea Jenuensium de qua erat verus patronus Percevallus de la Turchia et loco sui quidam nomine Jacobus Blancus, et ceperunt lignum ipsum et dictos Andream et Thomasum et Dionisium et Costam, infrascriptis eorum mercacionibus et rebus derubaverunt et turpiter spoliarunt. Cumque predicti Veneti nostri dicerent se Venetos et allegando pacem jntra nos et eos factam et compositam, responderent quod tanto plus placebat eis et tanto deterius eis facerent; que omnia mihi baiulo nota sunt tam per sacramenta predictorum derobatorum quam etiam per plures homines tunc prope locum derubacionis circumstantes et videntes quam eciam per multorum aliorum relacionem et famam publicam de predictis; que omnia nota feci potestati Januensium de Famagosta. Cuius responsio fuit talis quod si galea vel homines haberet sub posse suo quod secundum juris ordinem procederet contra eos, et quod erant cursores et pessimi homines; noluit tamen adfirmere quod essent exbanniti et quod cum eosdem cursares habere non posset nec poterat inde facere debitam rationem, et quod de his erat legiptime excusatus. In cujus rei testimonium feci has litteras sigilli communis nostri munimine roborari.

[Commemoriale, I, c. 33 ^{to}].